

EPISTULA LEONINA

CCIV

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUARTAM (204) !

ARGUMENTA

1. INTROITE NAM ET HIC DEI SUNT
2. CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA
3. CLIMA PHANTASMATICUM (*Patrick Frank, Stanford*)
4. EHEU GERMANIA FURORE CLIMATICO CORREPTA !
5. ECCE NIKLAS LOTZ HISTOGRAPHUS (*Blogger Neverforgetniki*)
6. DE PHILOSOPHIA CAROLI POPPER ET CICERONIS (*David Gowin*)
7. ORATIO LATINA HARVARDIANA (*Kabir Kyle Gandhi*)

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Cara Lector,

*Pausâ longiusculâ interpositâ tibi offero Epistulam Leoninam
ducentesimam quartam (204). Sive argumenta tibi placent sive
displacent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias
tibi ago in antecessum.*

Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 20. m.Oct., a.2019**



INTROITE NAM ET HIC DII SUNT

HERACLITUS ap. Aristotelem *De partibus animalium* A 5, 645^a20

Ἐκέλευε γὰρ αὐτούς εἰσιέναι θαρροῦντας· είναι γὰρ καὶ ἐνταύθα θεούς.

cfr <https://www.hausarbeiten.de/document/97473> Das **Motto zu Nathan der Weise**, Seminararbeit Germanistik 2000: „Ursprünglich handelt es sich bei dem Motto um einen Ausspruch des griechischen Philosophen Heraklit (circa 480 v.Chr.). Eine überlieferte Anekdote berichtet, dass Heraklit einst von Fremden besucht wurde; als diese jedoch sahen, wie der Philosoph sich an einem Backofen wärmt, blieben sie zunächst an der Tür stehen, worauf Heraklit ihnen zufiel: "Tretet ein, denn auch hier sind Götter!" Die Aussage bezieht sich ursprünglich also nicht auf einen Tempel oder einen sakralen Bereich, sondern auf eine schlichte Alltagssituation und einen auf den ersten Blick alles andere als göttlichen Raum, die Küche. Die Botschaft hinter diesem Zitat ist einfach: nicht im Besonderen, sondern „im unscheinbaren Alltäglichen“ wirkt das Göttliche. Es ist demnach jeden Menschen möglich, wenn er dies erkennt, zu Gott zu gelangen. Gott ist überall, sein Wirkungsraum ist unbegrenzt und man kann jederzeit in diesen „eintreten“.“

Warum hat aber Lessing das Motto, dessen Kontext er zweifellos gekannt haben muss, mit der Quellenangabe „bei Gellius“ versehen, anstatt direkt auf Heraklit hinzuweisen? Zumal die angegebene Stelle gar nicht bei Gellius zitiert wird, auch wenn fast alle Kommentare zum *Nathan* hierzu auf das von diesem verfasste Vorwort der *Noctes Atticae* als Quelle hinweisen. Eine Antwort auf diese Frage gibt erst die philologische Textkritik der Gellius-Schriften des 17.Jahrhunderts. Demzufolge enthielten die frühesten gedruckten Ausgaben der *Noctes Atticae* häufig Leerstellen statt der angekündigten griechischen Zitate, die auf Lücken in der als Druckvorlage dienenden Handschrift zurückzuführen sind.⁷ Die Herausgeber versuchten dann zumindest dem Umfang der Leerstellen entsprechende Textpassagen einzufügen, sodass in mehreren Gellius-Ausgaben des 16.Jahrhunderts ein fälschlich eingefügtes Heraklitzitat, eben jenes „Introite, nam et heic Dii sunt!“ zu finden ist. Erst im Jahre 1651 wird dieses und andere Zitate durch die ursprünglich vorgesehenen Textstellen ersetzt, welche auch in den heutigen Ausgaben der *Noctes Atticae* nachlesbar sind.“

CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

Frage an die 20 000 hier. Gruß aus Migmernaford.

20. 9. 2019

**QVID SPERATIS VOS ORBI POSSE ASSEQVI
FFF-DEMONSTRANTES**

Nächtliche Grüße aus der Stadt des Westfälischen Friedens!

PAX

INTERNA & INTER NATIONES

OPTIMA RERVM

CONFECIT HANNES DEMMING

<https://www.weltwoche.ch/ausgaben/2019-38/artikel/a-climate-of-closet-monsters-weltwoche-ausgabe-38-2019.html>

Patrick Frank
Clima phantasmaticum¹



PATRICK FRANK CHEMISTA STANFORDIANUS
<https://www.heartland.org/about-us/who-we-are/patrick-frank>

Sententia, quâ emissiones carbonei dioxydati ab homine effectae dicuntur causae esse, cur nunc clima calefiat, non potest confirmari ratione scientificâ, quia simulamina climatis (*climate models*) nullo modo firma fideliaque sunt. Ista autem simulamina sunt instrumenta ipsius *IPCC* (*Intergovernmental Panel on Climate Change*), organisationis, quae ex 25 annis nos monet etiam etiamque urgentius, hôc saeculo imminere ingentem calamitatem globi terreni fervescens. Multi scientiae excellentes ab istâ monitione dissentientes scripserunt opera valida, ut mitigarent timorem carbonei dioxydati panicum. At chorus *Harmageddonis* (*i.e. Apocalypseos*) cantat seductoriê² et pauci tantum

¹ cfr textus originalis: <https://www.weltwoche.ch/ausgaben/2019-38/artikel/a-climate-of-closet-monsters-weltwoche-ausgabe-38-2019.html>. Hac in symbolâ Leo Latinus conclusionem tantum Patricii in Latinum convertit. Si quis originalem publicationem Patricii scientificam legere vult, adeat hunc situm interretiale: <https://www.frontiersin.org/articles/10.3389/feart.2019.00223/full> Original Research Article Front. Earth Sci., 06 September 2019 | <https://doi.org/10.3389/feart.2019.00223> **Propagation of Error and the Reliability of Global Air Temperature Projections.** – cfr etiam: <https://sciencefiles.org/2019/09/08/interrumfern-neues-paper-zerstort-klimamodelle-und-co2-hoax-vollstandig/>.

² +sēductōriē (adv). orig. *seductively*. cfr **LUCAS TUDENSIS** (Lucas de Tuy, Pontevedra, in Hispaniâ, +1249), *Chronicon mundi* 3,5, ed. Emma Folque, CCM 74, Turnhout 2003, p.166: Tunc surrexit quidam iniquus concionator, ortus in Arabia, nomine *Mahumet*. Qui pessimus **seductor** videns inter Orientales et Romanos ortam discordiam, se contra Deum erexit et Christianorum imperium, **seductorie** <h>ortans gentes Arabum

probē fideles videntur esse parati ad refutationes (*sc. vaticinii apocalypticī*) considerandas. Tamen sunt refutationes. In verbis sequentibus talem invenies.

Conclusio Patricii Frank

Ex his omnibus appareat simulamen climatis¹, quod appellatur *EC-Earth*, omnino infidele atque invalidum esse. Quod nobis praedicere nescit, quidnam emissiones carbonei dioxydati effecturae sint tempore futuro. Quod nescit dicere nobis, quidnam emissiones carbonei dioxydati effecerint tempore praeterito. Quod simulamen nescit quidquid dicere de temperaturā āeris. Idem valet ad omne simulamen climatis quod exstat in orbe terrarum. Simulamina climatis nesciunt explicare ullam globi terreni calefactionem vicesimo saeculo factam. Quae nesciunt praedicere effectum, si qui est, emissionum carbonei dioxydati saeculo vicesimo primo futurorum. Istaec enim simulamina sunt nimis infirma infideliaque.

Omnis terror carbonei dioxydati atmosphaeram calefacturi hominibus incussus nullā re comprobatur nisi istis simulaminibus climatis funditus falsis. Qui terror confirmatur nullā re; nullā re nisi imaginibus terrificis, quae effectae sunt a scientistis, qui nesciunt, quomodo validā ratione scientificā aestiment opera sua propria.

Portio carbonei dioxydati in atmosphaerā intra spatum 150 annorum exaucta est a 295 ppm (ducentenis nonagenis quinis partibus milionesimis) usque ad 450 ppm (quadringenas quinquagenas partes milionesimas). Etsi nulla ratio cognoscibilis intercedit inter clima atque carboneum dioxydatum, licet quaeramus, num clima mutetur ratione quoquomodo insolitā.

Respondendum est de climate fieri nihil insoliti. Altitudo maris per centum annos pluresve vix exaucta est. Non sunt insoliti numeri aut intensitates inundationum, siccitatum, fervorum, furacanorum, cyclonum turbinumve. *Kiribati* et *Tuvalu* undis non submerguntur.

atque dicens non debere alterius gentis dominio subiugari, quis Dominus illis esset provisurus, de suo genere ducem benivolum concedendo quem haberent ut fratrem, cum quo etiam Dominus loqueretur.

¹ **simulāmen climatis**, orig. *climate model*; theod. *Klimamodell*. cfr Georges, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.II, col.2678, s.v. simulamen: „die Nachahmung, ein nachgeahmtes Bild, Ov.met.10,727. Auson.Mos.228. Iul.Val.1,4 (5).“

Possumus respicere ad tempora praeantiqua, ad septem aetates glaciales, quae factae sunt milione annorum ante tempus hodiernum. In omni casu primo temperatura âeris deminuta est, multis annis demum postea quantitas carbonei dioxydati. Aetatibus glacialibus finitis temperatura âeris primo augebatur, iterumque quantitas carbonei dioxydati augebatur multis demum annis post. Carboneum dioxydatum atmosphaericum nullum habuit effectum cognoscibilem ad aetates glaciales. Quae substantia evidenter quodammodo temperaturas aetatum glacialium passa est tamquam spectatrix passiva.

Necnon nullum indicium est, ex quo colligi possit miliardis quoque annorum ante tempus nostrum ullâ ratione inter se cohaesisse atmosphaericum carboneum dioxydatum et temperaturam âeris.

Denique invenimus nullam esse causam, quâ opinemur ullum spatiū calidum temporis nuper praeteriti effectum esse humanis carbonei dioxydati emissionibus neque ullam causam esse nôtam, quâ sollicitemur de rebus futuris.

Finiamus his verbis: Omnes accusationes, omnes diffamationes, omnes illi cursûs honorum impediti, omnes mortes hiemales penuriâ energiae effectae, omnes illi viri, mulieres, parvuli in habitaculis fumosis viventes, omnes illae enormes pecuniae dilapidatae, omnes illae plâgæ terrarum naturales deformatae, omnes illae aves dilaceratae atque combustae necnon vespertiliones disruptae, omnes illae subventiones ingentes agricolis divitibus datae, istaec omnia evidenter redacta sunt ad vanum et irritum.

Nulla enim est causa, cur parentes et aviae avique timeant de filiis suis nepotibusque. Nulla autem est causa, cur iuvenes adulti desperent de vitâ suâ. Nulla quoque causa est, cur illi evitent gaudia prolem propagandi familiamque procurandi aut felicitatem, quâ parentes filias filiosve emittant ad vitam futuram degendam.

Certê nulla est causa, cur discipulae discipulique terreantur fabellis phantasmaticis et lectionibus, quae narrentur de apocalypsi climaticâ.

Itaque omni causâ emissiones carbonei dioxydati timendi sublatâ oportet omnes vestrum, cari Lectores, fruantur vitâ suâ gaudium unus

cum altero communicantes necnon ritē iustēque sperantes sibi tempus
futurum esse mirabile.

**HAEC SCRIPSIT
PATRICIUS FRANK
CHEMISTA STANFORDIANUS
LATINÊ REDDIDIT
LEO LATINUS**

EHEU GERMANIA

FURORE CLIMATICO

CORREPTA:

BLATERATIO IN MOROCOMIO PRASINO HABITA



**NUM ADHUC POTEST
SERVARI?**

SCRIPSIT *ALEXANDER KAUFMANN*
IN LATINUM CONVERTIT *LEO LATINUS*

Germania furore climatis correpta: Num adhuc servari potest?

d.20. m.Sept. a.2019



Clima et tempestas sunt systemata intricatissima, non-linearia, chaotica. Omnis homo qui sibi arrogat eadem praedicere in spatum temporis longius, mentitur. Systemata chaotica non possunt praedici. Tamen tota natio dedita est (falsae) fidei interitū mundi imminentis.

scripsit *Alexander Kaufmann*, in Latinum convertit *Leo Latinus*

Res publica videtur firmē dirigi a puellulā autisticā, adulescentulis irā incensis, diurnariis se venditantibus, hominibus politicis timore calamitatis climaticae abutentibus. Auctores manifestationis, quae appellatur “*Fridays for Future*” (FFF), declarant hodie ubique terrarum esse faciendum operistitium generale – etiam in Germaniā fiant operistitia et reclamations. Verisimile est greges partis sinistrae extremos, qui apertē declaraverunt se velle submigrare FFF, hac manifestatione eo fine usuros esse, ut tumultūs faciant atque voluptate fruantur destruendi.

Operistitium climatis generale esse illegale – melius esse faciendum operistitium contra praxicopēma¹ oecologicum

In Germaniā operistitium generale proximum praeteritum et usque nunc unicum factum est ante centum ferē annos, sed non propter clima

¹*praxicopēma, -atis n. (cfr verbum neograecum). orig. *der Putsch*. *praxicopēs, -ae m. theod. *der Putschist*.

aut alia deliramenta, sed propter periculum verum. Illo enim tempore quidam duces militares conati sunt praxicopemate tollere iuvenilem rem publicam Vimariensem.

Ministri imperii partis socialis democraticae et syndicatus operariorum adhortati sunt cives, ut facerent operistitium generale; ita factum est, ut Germaniâ debilitatâ *praxicopema Kappianum* in irritum cederet. Hanc rem recordati matres patresque lègis fundamentalis sanxerunt, ne operistitium generale fieret nisi condicione extraordinariâ: Itaque operistitium generale secundum articulum 20 (incisum 4) lègis fundamentalis non est legitimum nisi periclitatur ordo liberali-democraticus fundamentalis.

Ergo organisatores ipsius FFF discipulos adhortantur, ut faciant rem illegalem, quia putent clima, immo totum planetam in periculum esse adductum. Clarê appareat istud contra ius fieri et, si respicitur praedici non posse, quo evadant systemata chaotica, quale est clima, fieri contra rationem. At paene est consentaneum, ut fiat operistitium huic contrarium – ut servetur libertas nostra personalis, cui imminet dictatura climatica.

Revolutionarios climaticos dictare quales valeant opiniones

Greges manifestatorum, quales sunt FFF et *Rebellio extinctionis* (“*Extinction Rebellion*”) aut *Harena machinamentis interiecta* (“*Sand im Getriebe*”), quae nuper versata est in Expositione Autocineticâ Internationali (IAA), democratiae sunt periculosi. Nam iidem nullo modo custodiuntur neque permittunt quaestiones criticas. Isti a diurnariis foventur et tolerantur, immo comprobantur ab hominibus politicis malis, vetustis numerum electorum sui augendi cupidis, qui doctrinam suam massis hominum inculcantes societatem nostram liberali-democraticam fataliter impediunt.

Is qui istam insaniam publicê vituperat, a diurnariis funditus diffamatur condemnaturque. Num licet totam hanc litigationem publicam praeterire et aufugere ad res privatas? At ipsa res privatae corruptae iam sunt litigationibus climaticis. De istâ re rixantur enim parvuli cum parentibus et amici inter se. Ubique periculum est, ne

homines criticē et rationaliter rem considerantes repellantur et contemnuntur quasi sint leprosi. Inde efficitur, ut homines taceant. Regimen suscipitur a ducibus seditionis climaticae.

Cum autem a diurnariis ferē nihil tractetur nisi clima, periculum est, ne problemata negligantur praestantiora atque multo urgentiora. Caeco activismo etiam etiamque augescente – prohibitionibus, vectigalibus, solutionibus compensatoriis, praescriptionibus et in dies pluribus rebus vetitis – efficimus, ut in periculum adducamus opulentiam vestram.

Nostra autem opulentia est – praeter libertatem dicendi et opinandi – basis ordinis fundamentalis liberali-democratici. Activistae climatici non sōlum nocent autocineto nostro Dieseliano, nostro itineri feriarum volatico, succulento copadio avidē immorso: Qui Germaniam destructuri sunt talem, qualem novimus.

Industriam technicam destrui: Omnia fieri climatis causâ civiumque sumptibus

Officium Computationum Foederale¹ vituperat transitionem energiae, Germaniae imminet defectus fluenti electrici totalis; oeconomia autocinetica, quae est nervus oeconomiae nostrae popularis, vexatur praescriptis emissoriis etiam etiamque severioribus et postulatione novae technologiae autocineta promovendi (cuius productio nocentior est omnibus rebus aliis); fluentum atomicum carbonineutrale praetermissum, carbo diutius adhibitus nunc etiam tollendus est. Fluentum etiam etiamque pretiosius fit et defectum eiusdem totalem factum iri etiam etiamque verisimilius est.

Tutelâ climatis atque iustitiâ climaticâ postulandis fit, ut integri rami oeconomici decomponantur. Industria technica materiae fundamentalis atque chemicae iam pridem est Germaniam relictura, Siemensiani merces autocineticas desinunt fabricare. Sedes operandi valorem efficientes cedunt sedibus operandi, quae vectigalibus

¹ orig. Bundesrechnungshof; angl. Federal Audit Office, German auditing department; fr. Cour fédérale des comptes; hisp. Tribunal Federal de Cuentas; ital. Corte dei conti.

foventur - quae omnia fiunt climatis causâ et sumptibus civium omnium.

FFF progreditur societate firmêque tenet societatem correptam.

Modus et velocitas agendi, quo postulatur transitio, magnus ille *saltus in societatem decarbonificatam faciendus*, sunt terribiles inque memoriam revocant methodos temporum iam pridem transactorum. Tempora enim, quae numquam reventura esse usque nunc speravit omni homo sanâ mente praeditus.

Paene videntur neque politici partis dextrae neque sinistrae potestatem suscipere, sed *Luisa Neubauer* et Prasini. Videntur res anni 1933 repeti novo colore. Videmur iter facere in oecosocialismum: Pro illo *spatio vivendi in oriente quaerendo* nunc haud minus insanê petitur neutralitas carbonaria ubiquitaria.

A capitalismo climatico devorari "capitalismum fossilem"

At quonam modo fieri potuit, ut res eo evenirent? Quare omnis ferê politicus - etiam ii, qui sani, immo critici esse putabantur – hanc insaniam cum aliis communicat? Quia eâdem re usus omnis homo pecuniae potestatisque cupidus potest proprios fines fovere.

Ut grassatores factionis sinistrae extremi manifestationibus climaticis quodammodo *lupus pelle ovinâ indutus* utuntur, ut fruantur voluptate suâ destruendi, ita nullus politicus abstinebit bonâ occasiunculâ, quâ usus etiam plus pecuniae ex civibus sibi subditis extorqueat; sive oeconomia pecuniâ abundat sive non. *Capitalismus fossilis* impugnatur ab adversario, qui non est *socialismus climaticus* - quem petunt parvuli operistitium facientes rem nullo modo intellegentes -, sed climaticus *capitalismus!*

Pauci tantum saturantur lucro quod fit fide Gretaë salvaticis et tributis pro carboneo dioxydato solvendis et modo consumendi mutato (sive potius dictato) eorum, qui pecuniam solvere possunt pro modo vivendi oecologico. Ita insanâ climaticâ fieri potest, ut multi homines saepe non in publicum prodeuntes valeant ad res, ad quas valere iisdem non

liceat – et istud non sôlum fiat sine ullo iure democratico, sed etiam sine ullâ democraticâ custodiâ.

Denique restat ut speremus fore, ne paucae voces adhuc sanae obmutescant, sed mox lumina electrica exstinguantur. Fortasse leviores saltim Gretaë assetatores sententiam suam mutabunt, si fluenti electrici prorsus expertes a gubernatoribus ad planetam servandum erunt expilati.

**HANC SYMBOLAM
CLIMATOSCEPTICAM
CONSCRIPSIT
ALEXANDER KAUFMANN,
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

ECCE NEVERFORGETNIKI

**NIKLAS LOTZ 19 ANNOS NATUS
HISTOGRAPHUS¹ INTERRETIALIS**



TANDEM IUVENIS INEPTIAS OFFUCIASQUE

GRETARIORUM² PERSPICIENS

Babae ! Euge !! Sophos !!!

¹***histographus**, -ī m. i.q. anglicē **blogger**. cfr verbum neograecum, q.e. <https://el.wiktionary.org/wiki/ιστογράφος>: „....ιστογράφος < ιστός + κατάληξη -γράφος < (μεταφραστικό δάνειο) αγγλική blogger“.

²***Grētārī** -ōrum m.pl. Sunt assetatores cuiusdam sectae religiosae, quae ducitur a puellā Suetā prophetissā, quae vocatur *Greta*. Eadem autem praedixit terram combustum iri, nisi homines funditus abstinuissent a carboneo dioxydato emitendo. Greta nobis inculcat omnem hominem eādem substantiā exspirandā graviter peccare, sed indulgentiā emendā se posse absolvere a peccatis suis carbonicis, ne anima sua in gehennā thermocepīcā (*Treibhaushölle*) ferveret in aeternum.

ANIMUS GRETAE THUNBERG FUNDITUS REVELATUS !

<https://www.youtube.com/watch?v=TaCbx0GwsWA>¹
518.229 vocationes. d.18.m.Aug.a.2019 publicatum. 11 min. 18 sec.

***Heus spectatores omnes salvete
hanc emissionem spectaturi !***


Hodie vobis monstrabo scopocinema² perquam extraordinarium. Nam de nullâ re agitur nisi de animo *Gretae Thunberg* revelando. Greta Thunberg. Tota quidem ista res est phaenomenon diurnarium, quod reapse iam diu observo, nam quaecumque de eâ a diurnariis refertur, materias omnes de illâ publicatas colligo atque perscrutor. Nunc tandem dies vînit, quo reverâ dicere sciam me scopocinema composuisse, quo *Gretae* ducumque *Gretae* clandestinorum consilia denudo tota. Hoc scopocinema est divisum in partes tres, quarum prima spectat ad *Gretam ipsam*, altera ad lucricupidinem hominum, a quibus *Greta* dicitur, tertia ad periculosam ideologiam politicam, quae subest consiliis *Gretariorum*. Ergo hoc scopocinema multum valet. Itaque vos rogo, ut idem cum aliis communicetis. Incipiamus!

Primo quaeramus: Quisnam est haec *Greta Thunberg* – et qualis puella fit a diurnariis? Scilicet ea est iuvenis mulier, quae studet mutationem climatis impedire. Hoc ipsum nil mali est. In hac re *Greta* valdê innotuit operistitiis absentationibusque scholaribus. Illa motio, quae appellatur „*Fridays for Future*“ vix exorta esset sine *Gretâ*. Mirum autem est, quod talis puella qualis *Greta Thunberg* a diurnariis Germanis ingenti cum entusiasmo celebratur, eadem dicitur esse salvatrix, cui debeant devotê offerri beneficia quam plurima. Iam in primo meo scopocinemate gretario demonstravi *Gretam* praemiis diversis abundantissimê cumulatam esse. Nunc autem verisimile est eandem puellam accepturam esse Praemium Pacis Nobelianum. Ergo *Gretae* offeruntur omnia beneficia, *Greta* a diurnariis maximê diligitur.

¹ titulus originalis: ENTHÜLLUNG: Greta Thunberg komplett ENTLARVT.

² *scopocinema, -atis n. orig. Video(film).

At quaerendum est: Hocine fit causâ iustâ? Ista puella num reverâ tantum valet in rebus politicis – num reverâ tantum valet, ut mutet totum mundum?



Nam nihil aliud eadem declarat se velle. At nos verba Greta considerantes non cognoscimus, quasnam res singulas illa postulet faciendas. Haec puella nil clarê et perspicuê explicat, nihil dicit nisi quadamtenus obscurê fabulatur de mutatione climatis impugnandâ, res iam postulatas esse ad effectum adducendas. Statim animadvertisit Gretam cogitare ratione contrarietatis simplicissimae, quae fortasse efficitur eius mentis infirmitate. Ut metaphorâ utar: Patet Gretam nullos colores videre nisi nigrum et album neque ullum colorem iisdem intersitum. Certê plerique homines volunt planetam protegere, multos affirmare clima esse protegendum neque ego nego hoc bonum esse. At Greta nihil semper comprobat nisi exactê id quod ipsa proposuit. Cum Greta non cogitet ratione pragmaticâ, nescit proponere compromissa. Greta non patitur ad clima protegendum plantari arbores aut vendi emissiones, sed ea semper strictê perseverat in iisdem rebus postulandis, i.e. Greta postulat, ut cives vectigalibus maioribus aliisque oneribus onerentur. Clarê enim appetet, Greta quantâ sit animae pertinaciâ atque simplicitate. Eadem etiam narratur, cum de climatis mutatione audivisset, desiisse comedere. Istam hac re auditâ tam vehementer affectam esse, ut desineret comedere. Hac re

perpensâ non possum quin dicam sincerê: Quonam modo fieri potest, ut politici totius ferê orbis terrarum patientur se regi imperiosê a dominulâ iuvenculâ parumque criticê comprobent ea quae Greta postulat eaque faciant argumenta disputationis praecipua? Magnos homines politicos oboedienter sequi praecepta Gretulae mediâ in parte rerum stantis – eheu quam insanum istud est?



At veniamus ad illos viros, qui potestate oeconomicâ praediti Gretaे insusurrant, quidquid dicat. Perdiu autem negabatur Gretaе ab aliis hominibus praescribi quidnam ei dicendum esset. Haec sententia reiecta est quasi esset mala et insidiosa. Diurnarii diu simulaverunt Gretam esse puellam simplicem, quae ultiro sine ullo auctore vel suasore haec faceret. At interim haec res melius perspecta est.

Incipiamus ab **Ingmaro Rentzhog** negotiatore Sueto, qui nomine Gretaе Thunberg fecit commendationem propagandam¹. In hac re factum est aliquid insolitum. Postea quidem Thunbergii declaraverunt hoc non factum esse suo nomine, sed certo constat *Rentzhogium* nomine Gretaе fecisse commendationem propagandam. Necnon quaerendum nobis est, quisnam sit iste Ingmarus Rentzhog. Idem est negotarius Suetus, qui negotia facere solet bono cum successu. Qui vir in patriâ suâ perbene nōtus in animo habet lucrum oeconomicum

¹ **commendatiō prōpāganda** theod. *Werbung*.

capere nomine Greta Thunberg usus. Imprimis agitur de societate actionariâ¹, quae appellatur “We don’t have time“. Ingmarus autem vult quodammodo instituere planiformam² prasinorum massalem. Idem eandem tantam facere vult, ut personâ Greta lucrum sibi fiat quam maximum. Hoc Ingmarus haud leviter dixit, sed verê sibi proposuit ad effectum adducendum. Rentzhogius dicit haud malum esse pro re bonâ, qualis sit tutela climatis, pugnare et inde magnum lucrum capere. Ergo apparet unus saltim negotiator magnae amplitudinis, qui concedit se toto negotio Gretario velle fieri valdê divitem.

Consideremus autem totum istud spectaculum Greta Thunberg in scaenam productum, quod ratione propriâ ex nihilo constat nisi eo, quod Greta aliquo iter facit, quod aliquo loco publicê apparet et eo, quod magni greges diurnariorum haec student hominibus ostentare more hollywoodiano. Haec omnia autem non sunt lusûs iuveniles vel actiones adulescentium lusoriae, sed fiunt ratione verê professionali. Necnon clarê apparet haec effici a viris lucri cupidis, velut societatis actionariae participibus, ideoque a talibus viris Gretam adiuvari, ideoque eandem etiam etiamque plus valere, nam praevalere illorum lucrum.

Sed nunc veniamus ad partem huius scopocinematis omnium gravissimam, id est ad **ideologiam**, cuius propugnatores utilitatem capiunt ex Greta spectaculis, et explicemus, quare ista cohaerentia sit periculosa. Nam in fine nihil valet nisi hoc: Utrum ista puella fiat illustris necne, nobis curandum non est; num hac in re quivis homo lucrum accipiat, ego ipse non curo – habeat sibi – sed spectaculum Greta est pericolosum, quia eodem augentur atque foventur homines, qui studeant rebus novis. Nam nuper facta est res infamis: Greta Thunberg convénit illos activistas partis sinistrae extremis, qui manifestaverant in silvâ Hambachensi, necnon convénit activistas partis sinistrae extremis, qui catervam suam appellant „Ende Gelände“; inde clarê apparet motionem climaticam continere quasdam partes valdê radicales, a quibus Greta non studet distantiam servare. Evidem nequaquam suppono Gretam ipsam esse

¹ **societâs +āctionâria** theod. *Aktiengesellschaft*. cfr Antonius Bartal, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis Hungaricae*. Leipzig 1901. Neudruck Hildesheim u. New York (Olms) 1970, p.10.

² ***plânifôrma**, -ae f. theod. *Plattform*.

extremistriam partis sinistrae. E contrario puto eam nihil esse nisi simplicem puellam, quâ abutantur homines complures, qui student propagare ideologias suas politicas.



Tamen verum est etiam homines sinistro-extremos Greta's spectaculis aspectis credere sibi esse ius ideologiae suae propagandae. Ergo inde fit, ut radicalismus sinister collocetur mediâ in societate nostrâ eo quod initur campus agitandi *mutationis climaticae*, quia eodem quam plurimi homines capi possunt – ita ut – sine morâ – agatur de systemate capitalismi abolendo et mercatibus oeconomiâque mercatoriâ destruendis. Ergo apparet totam rem gretariam fieri periculosissimam. Itaque non possum quin dicam: Nescio, num Greta reverâ sit animi simplicioris quam ut hoc cognoscat. Nam eadem photographema fecit sui **camisiâ antifascisticâ** indutae. Postea quidem Greta friguttiens se pro hac re se excusavit; at tot errores fieri non possunt. Nam spectaculi gretarii effectores cum sint homines commendationis propagandae peritissimi, verisimile est ab iisdem cogitationes sinistro-extremas etiam etiamque de industriâ societati importari. Scilicet permultos homines lucrum accipere ex Greta's spectaculis. Nam tota ista, ut ita dicam, unda prasina, progressus factionum prasinarum, successus harum factionum, scilicet magnâ ex parte foveatur et augeatur manifestatione, quae appellatur *Fridays for Future* et a Greta Thunberg. Hanc cohaerentiam rerum si consideramus, cognoscimus Gretam Thunberg reverâ esse

periculosam, non eâ de causâ, quâ Greta spectaculis homines lucrum accipiunt – ut iam dixi, hoc non curo – sed, quia iisdem extremismus sinister communiter comprobatur, quia iisdem foventur activistae radicales et quia disputationes publicae diriguntur postulatis populisticis, mihi videtur tota Germania, Germania inquam politica, aliquatenus admoveri ad quandam totalitarismum gretarium, id est nihil comprobari nisi dicta Greta omnesque eidem obsequi. Necnon animadvertisuntur res minores tamen vero valde dubiae; e.g. Greta diurnarios ex oeco eicere iussit; tale facinus si quis alius fecisset, scandalon effecisset maximum propter libertatem diurnariam laesam, sed Greta si talia facit, pro rebus levioribus habentur. At is qui cupit se intermiscere rebus mundi politicis necnon tanto cum successu agit, ei non licet exspectare tutelam specialem infirmioribus concedendam. Ergo si Greta Thunberg reverâ studet valere ad rationem mundi politicam, oportet eadem patiatur facta sua aestimari ratione tanti incepti. Itaque procul dubio est Greta rationem esse reddendam foederis cum extremistis sinistris facti.

Concludamus: Denique videmus hîc agi de dominulâ, quâ usi nonnulli homines permultum pecuniae accipiunt, nonnulli homines se exornant, necnon efficiunt, ut ideologia sua politica, id est ideologia hodierna motionis Prasinorum, publicê comprobetur. Nunc clarê appareat, quid efficiatur eo quod Greta iterum iterumque a diurnariis quodammodo adoratur. Nihil aliud enim fit nisi hoc: Quo devotius Greta adoratur, eo gratior fit factio Prasinorum. Contendo autem subesse strategiam indirectam. Reverâ Greta Thunberg non interdum tantum a diurnariis memoratur, sed quaecumque ista facit, tota omnia ab illis protocollantur. Paene dixerim illos erga eandem se gerere quasi sit persona totius mundi praestantissima. Itaque non possum quin quaeram: Verumne nemini nisi mihi istaec res videtur formidulosa? Subito omnes ferê homines de nemine loqui nisi de aliquâ iuvenculâ eamne reverâ devotissimê venerari! At si quis hoc vituperat, a diurnariis verbis quodammodo trucidatur! Ita vero, quid diurnarii scribunt? Istos homines Gretam vituperantes esse senes albae cutis, esse viros stultos, qui nolint se mutare. Non iam licet fieri, ut aliquis Greta dictis contradicat, non iam fit disputatio de iisdem. Verum enim vero, exortus est – nescio istam rem aliis verbis exprimere – exortus est totalitarismus gretarius.

Si mihi in hac re assentimini, rogo vos, ut communicetis hoc scopocinema. Nam verē tempus est adversari isti hyperbolae gretariae omnipraesenti. Magna pars civium istam rem non vult, sed cogitur accipere relationes istius modi diurnarias superabundantes. Omnis autem homo, qui aliquantulum scit cogitare suā ratione propriā, hoc ipse intellegat. Praeterea sat multa testimonia, ex quibus res apparet, vobis modo demonstravi, ceterum relationes huiusmodi iam ubique ferē sunt divulgatae.

Nescio an isti homines, qui iterum iterumque Gretam defendant remis velisque, necnon Gretiorum lucricupidinem eorumque cum extremistis sinistris cooperationem – nescio an ipsi exoptent extremismum sinistrum. De hac re vos ipsi diiudicetis, queso. Evidem gratias ago omnibus hominibus, qui huius scopocinematis sunt participes.

Praeterea plurimas gratias ago omnibus hominibus, qui operam meam diurnariam pecuniā foveant, ut de talibus rebus qualis est haec possim referre et continuo producere scopocinemata. Hoc enim est verē extraordinarium. Itaque gratias ago omnibus hominibus, qui operam meam pecuniā fovent, sive ratione Paypalianā sive computo argentario. Si nunc subnotaveritis hunc canalem, nullum scopocinema futurum praetermittetis. Valdē gaudeo vos emissionum mearum fore participes. Valete!


**HAEC VERBA FECIT
NIKLAS LOTZ
HISTOGRAPHUS GERMANUS
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

DE PHILOSOPHIA CAROLI POPPER ET CICERONIS

David Gowin, Hierosolymis

Amico et magistro Pino Blasone, Romae, animo cum veneranti gratoque!

Horno, XXV dies emortalis incidit philosophi Caroli Popper, qui Londinii die XVII Septembris MCMXCIV mortuus est. Ad ipsius honorem, aliquid de eius cogitatione scribam, quod magni momenti esse mihi videtur.




*Carolus Popper,
philosophus et sociologus*

Inter omnes constat Carolum Popper philosophum rationis diligens investigator fuisse, et veritatem ab homine non certe cognosci posse docuisse. Veritatem ipsam in via *falsificationis* tantum assequi possimus. Nam Carolus Popper docuit nullam propositionem universalem empirice verificari posse. Haec enim est cognoscendi regula fundamentalis philosophiae rationis inquirendae, quae dicit omnes cognitiones veras esse, donec eae non refellantur. Nam, naturalis scientia iterum iterumque novas res invenit, et simul veteres praesumptiones falsas fuisse cognoscit. Itaque, physicae cognitiones coniecturales veritates sunt, secundum philosophiam rationis

inquirendae. Ea de causa, naturalium scientiarum notiones, id est de rerum natura, saepe corrigendae sunt.

De veritate conjecturali aestimanda, Marcum Tullium Ciceronem cum Carolo Popper consentire potuisse puto. Nam, sicut philosophus Carolus Popper, Cicero veritatem ipsam certe cognosci non posse docuit. Praeceptum probabilitatis, seu verisimilitudinis, sequi sapientius videtur. Id est, quod probabilius nobis videatur verum esse potest. Haec fuit opinio Academiae Novae, quae verisimilitudinis iudicium secuta est. Ista obiter non fuerat sententia Academiae Veteris, quae, ut notum est, docuit *in profundo veritatem esse demersam*.¹



Marcus Tullius Cicero

Itaque, Ciceronis verba de cognitione veritatis legimus, ut sequitur:

«*Non enim sumus i, quibus nihil verum esse videatur, sed i, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus tanta similitudine, ut in is nulla insit certa iudicandi et adsentiendi nota. Ex quo exsistit et illud multa esse probabilia, quae, quamquam non perciperentur, tamen, quia visum quendam haberent insignem et inlustrem, his sapientis vita regeretur*»².

¹ Cicero, Marcus Tullius: *Academicci Libri*; I,45

² cf. Cicero, Marcus Tullius: *De Natura Deorum*, I, 12

Cicero sic putat, se dubitatione et verisimilitudine verum cognoscere sive veritatem ipsam appropinquare posse. Hoc Ciceroni cogitatio recta atque vera philosophia esse videtur. Nam Cicero ipse, de modestia sua in philosophando, ut sequitur ait: *genus philosophandi minime adrogans.*³

In veritatis quaestione, Cicero sequi videtur philosophiam Socratis, qui Graeca voce dixit: *οἶδα οὐκ εἰδώς*⁴. De significatione huius clari dicti Socratis, Cicero in opere suo, quod “Academici libri” inscribitur, etiam scripsit. Ita, Cicero de Socrate ait: *ipse se [Socrates] nihil scire id unum sciāt.*⁵ In hoc sensu, Ciceronem Socratis discipulum fuisse forsitan dici possit. Nam, se veritatem in eam ipsam scire non posse Cicero putabat; id solum anquiri possit, quod verisimile sit.⁶ Atque utrosque philosophos, Carolum Popper et Ciceronem, in veritatis quaestione scepticos aestimare possimus.

Clarus liber a Carolo Popper scriptus, qui *Libera societas et adversarii sui* inscribitur, et Britannica voce *The Open Society and its Enemies* appellatur, nostris temporibus maximi momenti esse mihi videtur. Ibi, Carolus Popper philosophus explicat quomodo democratiam et liberam societatem minari posse a periculis sententiis philosophorum Platonis, Hegel et Caroli Marx, quae civitatem et societatem ad tyrannos duxerunt. Itaque, Carolus Popper ut libertatis magnus defensor contra tyrannos et dominatum valet. Atque Cicero rei publicae libertatis strenuus defensor, et humanae virtutis clarum exemplum fuit. Libertas denique est humanitatis virtus, quae semper defendenda est.

DE PHILOSOPHIA CAROLI POPPER ET CICERONIS SCRIPSIT DAVID GOWIN HIEROSOLYMITANUS

³ cf. Cicero, Marcus Tullius: *De Divinatione*; II,1,2


⁴ Dictum illud “οἶδα οὐκ εἰδώς” in “*Apologia Socratis*” inveniri potest, sicut vis et natura horum verborum: “κινδυνεύει μὲν γὰρ ήμῶν οὐδέτερος οὐδὲν καλὸν κάγαθὸν εἰδέναι, ἀλλ’ οὗτος μὲν οἴεται τι εἰδέναι οὐκ εἰδώς, ἐγὼ δέ, ὡσπερ οὖν οὐκ οἶδα, οὐδὲ οἴομαι· ἔοικα γοῦν τούτου γε σμικρῷ τινι αὐτῷ τούτῳ σοφῶτερος εἶναι, ὅτι ἀ μὴ οἶδα οὐδὲ οἴομαι εἰδέναι” (XXId).

⁵ cf. Cicero, Marcus Tullius: *Academici libri* I, 16

⁶ cf. Cicero, Marcus Tullius: *Tusculanae Disputationes*; IV, 47

ORATIO LATINA HARVARDIANA

A KABIR KYLE GANDHI HABITA¹



Bibliotheca et Hortus

PRAESES BACOW, DECANI ILLUSTRES, DOCTISSIMIQUE PROFESSORES, FAMILIARES, AMICI, BENEFACTORES, TER HONORATI HOSPITES, VOS DENIQUE CARISSIMI CONDISCIPULI, SALVETE OMNES !

Magnus mihi honor est his in rostris Theatri Tercentesimi² hôc munere mirabili perfungi, etiamsi in lingua quam perpaucissimi intellegunt. Hodie non solum incipimus officium aliorum ad beneficium vivendi, sed etiam finimus – si fas dicere est – nostram experientiam transformativam per universitatem Havardianam³.

Cicero alter verba sollertissima ex sollerti ore tonans sine dubio haud sum. Cum tamen legebam verba illius in bibliothecâ praeclarissimae

¹<https://www.youtube.com/watch?v=NjF9Ard1gbE>–https://www.harvardmagazine.com/sites/default/files/Commencement_Latin_0.pdf13.06.2019: Latin Salutatory Kabir Kyle Gandhi | Harvard Commencement 2019 “A Library and a garden”.

² i.e. Tercentenary Theatre

³ angl. *but we also complete – our “transformative experience” at Harvard University.* “+transformativus” est verbum Latinitatis mediaevalis. cfr Webster's New International English Dictionary.

amplissimaeque Domūs Dunsteriensis⁴, quaedam sententia concinna in epistulā ad Varronem amicum oculis meis incucurrit. In quā aliquid fortasse veritatis inveniamus. *Si hortum in bibliothecā habes, deerit nihil.*⁵ Convocatis ergo diversis cohortibus ad contionem in horto optimo ante bibliothecam optimam apud Havardienses positam haec verba fecundissima consideremus. Nos Havardiani certē intellegimus, quomodo quotannis horti irā frigoris Cantabrigensis⁶ iacentur. Bibliothecae autem et nimirum officinae alchymicae⁷ constantes stant. Primo eas in arces mutavimus, in quibus noctu solitudine lucubravimus (et multum Taurum Rubrum⁸ bibebamus).

Mox capita de laboribus sustulimus, ut sapientiam admiraremur et amicorum praestantium et optimorum auctorum. Cor est artium liberalium bibliotheca, in quā sive historicus vel physicus sive poëta vel mathematicus scientiā omnium rerum humanarum ac naturalium augeatur. Nos Havardiani quoque novum *Smith Forum*⁹ in aliam bibliothecam refigaravimus¹⁰. Requiescas in pace aeternā, o templum coffeae et crustulorum, boni panis! Tandem aliquando hiems veri cessit. Horti rursus usui nostro liberabantur. Statim delatis quaestionibus ad *Canvas* in tempore ipso¹¹ (horresco referens) domūs excurrimus ad hortos occupandos et plateam Harvardianam¹² fruendam. Ecce! Hac ex parte alii spiceam spheram¹³ ludunt. Aliā ex parte alii sub frondosis quercorum¹⁴ ramis cubant. Laboribus intermissis fabulas relatum musicam auditum et quietem in gramine acceptum ad hortos imus. Interdiu susurri discipulorum risūsque

⁴ angl. *Dunster House*

⁵ cfr CICERO, Ad familiares IX 4: *Scr. in Tusculano mense Iunio a.u.c. 708 (46)*. CICERO VARRONI. Περὶ δυνατῶν με σκιτοῦ κατὰ Διόδωρον κρίνεται. Quapropter, si venturus es, scito necesse esse te venire; sin autem non es, ἀδύνατον est te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Chrysippi an haec, quam noster Diodotus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cum erimus, loquemur; hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατόν est. De +Coctio mihi gratum est; nam id etiam Attico mandaram. Tu si minus ad nos, nos accurremus ad te: si hortum in bybliotheaca habes, deerit nihil.

⁶ angl. *the wrath of the Cantabrigian winter*

⁷ angl. *laboratories*

⁸ angl. *Red Bull*

⁹ i.e. Smith Campus Center.

¹⁰ angl. *We Harvardians even managed to turn the new Smith Campus Center into a library of its own.* Verbum refigurandi invenitur in Vulgata: VULG.sapient.19,6 Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseriviens tuis praeceptis, ut pueri tui custodirent illaesi.

¹¹ angl. *Once we had uploaded our assignments to Canvas with minutes to spare*

¹² angl. *the open space of Harvard Yard*

¹³ Spica Sphera, i.e. angl. *spikeball*.

¹⁴ cfr PRISC.6,83: G.pl.quercorum. CIC. ap.Prisc.6,83.

Harvardianorum - mirabile auditu! - hortos nostrae universitatis complent. Itaque hortos bibliothecasque multiplices Universitatis Harvardiana perscrutatus sic enim arbitror: *Si hortum in bibliothecâ habes, deerit aliquid*: Bibliothecae complendae sunt animis veritatis cognoscendae semper cupidis, horti complendi sunt et gaudio et risu et amicitiâ. Universitas Harvardiana nobis hortus et bibliotheca his annis fuit, noster locus amoenus, ubi praeterita explicare, praesentia discere, futura excogitare potuimus. Cum primum egressi erimus ex hōc horto delectabili, memorias non solum de flori**<bu>**s librorum, sed etiam, quod est maioris momenti, de moribus ac ingenii humanis conservemus. His ergo omnibus observatis haec notissima verba profero quo celerius ad laureas admittamur: Cara cohors anni bis millesimi undevicesimi, *ave atque vale!*¹⁵

HANC ORATIONEM

LATINAM

HABUIT

KABIR KYLE GANDHI

HARVARDIANUS

¹⁵ angl. *I repeat these famous words so that we can get on with graduating: dear Class of 2019, hail and farewell!*

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90	
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- -----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90	
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90	



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUARTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Quid audetis?
Tandem desinite spirare!

Die Dominicâ, 20. m.Oct. a.2019

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**Dum spiro spero sanatum iri
Gretariorum
insaniam climaticam.**



**EXTINGUITE LUMEN!
SISTITE MUTATIONEM CLIMATIS!**